



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 41. Cæsar sua Regna Philippo Filio cedens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul, XVI.  
A.C. 1556.

§. XLI.

Cæsar sua Regna Philippo Filio  
cedens.

*Pallav. l. 13.  
c. 16 n. 4.  
Ant. Vera  
vie de Char-  
li V. p. 291.*

Hoc Fœdus cum Philippo Hispaniæ, & Angliæ Rege ideo fanciebatur, quia Carolus V. ejusdem Pater, ut supra memoravimus, jamjam die vigesima quinta Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto præter Mediolanensem Ducatum eidem etiam Neapolis, ac Siciliæ Regnum cesserat, ac tertio post Mense, seu die vigesima septima Januarii hoc anno supra millesimum quingentesimo quinquagesimo sexto ad eundem ceteras nobiliores ditiones, Regna, ac Provincias, quas tam in Europa, quam in novo Orbe possedit, transtulerat, sibi-que ex Hispaniæ redditibus pro sua sustentatione nonnisi ducenta aureorum millia præter quamdam pretiosæ suppellectilis partem reservaverat. Facta est hæc cessio Bruxellis cum ingenti populi concursu; quivis enim, ut tam rari exempli solemnitatem cerneret, aviditate stimulabatur. Aderant quoque ambæ Reginae Eleonora, & Maria unacum Sabaudix Duce, Ludovico Zuniga, supremo Alcantariensis Militiæ Magistro, Arescotio Duce, Atrebatensi Episcopo, pluribusque aliis Proceribus: deerat

deerat tamen Maximilianus, qui Ferdinandi Filius jamjam in Germaniam profectus erat. Demum huic cessione una omnes præsertim ambæ Reginæ, tanquam testes subscripserant, dum prius Cæsar, Philippus Rex, & Franciscus Erasco, qui utrique a secretis erat, hujus abdicationis diploma suo firmaverant chirographo. Absolutis hisce solemnibus Carolus in suum cubile se recepit, comitante illum ejus Filio, qui surrexerat, & demum sub umbraculo in throno duobus gradibus sublimi confidens officiosas omnium Procerum, ac Nobilium gratulationes exceperat, hac solemnitate ultra horam protracta.

## §. XLII.

*Imperii cura a Carolo V. in Ferdinandum translata.*

Cum Carolus penitus sese publicis curis subducere jam dudum decrevisset, hinc cuncta ad Imperii abdicationem necessaria parare cæpit, illudque in Ferdinandum transferre statuit; hic enim nunquam Philippum in Romanorum Regem eligi voluit, eo quod hanc dignitatem ad suum filium devolvi peteret. Porro hac in re, ut Scriptorum nonnulli testantur, Cæsar absque Summi Pontificis beneplacito nil decernere audebat; quapropter datis ad Paulum

Sæc. XVI.  
A.C. 1556.

*Gedelerius  
de abdtc. Imperii a Carolo V.  
Belc. comm.  
l. 27. n. 37.*

D d 5

lum